

burgicus &c. Austria item, Carinthia, Styria, Carniola &c. ejectis inde errorum magistris, ab omni hæresi depurgata. Ex Regiis porro & Principalibus Europæ familiis in salutis semitam, à qua progenitores fraudulenter sunt abducti, Deo duce atque auspice rediére Carolus II. ejusque frater Jacobus II. Angliæ uterque Rex, Christina Sueciæ Regina, quæ in ætate, fortunæque florentissima factò planè heroico in omne ævum memorando A. 1654. regno amplissimo sponte abdicato, Romam exinde commigravit, ubi ab ipso summo Pontifice Alexandro VII. S. Confirmationis Sacramento initiata, anno demum 1689. cœlestis regni possessionem adiit. Tota præterea Domus Electoralis Palatina Neoburgica, & Sulzbacensis, uti & Hasso-Rhenofeldensis; Joannes item Fridericus Dux Hannoveranus, & Fridericus Augustus Saxonix Elector cum pluribus aliis Ducibus, Principibus, Comitibus &c. ad avita sacra sunt reversi.

5. *Qua nova hæreses hoc seculo sunt exortæ?*

1. Præter plures alias sectas è Lutherana & Calviniana hæresi in Britannia præsertim & Hollandia prognatas, hæresin Jansenianam in orbem invexit Cornelius Jansenius, non Flander ille, Gandavensium Episcopus, celeberrimus sacrarum litterarum interpres, A. 1576. vitâ functus, sed Hollandus, è Doctore Theologo Iprensis Episcopus, A. 1638. pestifera lue extinctus. Hic de gratia Christi & libera hominis voluntate librum elucubravit, *Augustinus* inscriptum; à cujus tamen doctrina tam longè abest, quàm propè accedit ad Calvinum, qui & ipse cum Wicleffo,